

II. De *justitia*, quia eripit proximo vitam civilem seu famam et existimationem; unde homo sperni, deseri, adeoque enecari incipit. Ita enim S. Clemens Ro. 1. ep. ad S. Jacobum ait: « Homicidiorum tria genera esse dicebat S. Petrus, et pernam eorum parilem esse dicebat. Sicut enim homicidas, interfectores fratrum: ita detractores quoque eorum, eosque odientes homicidas esse manifestabat. » Jam vero homicidæ tanto sunt pejores et abominabiles, quo plures vel præstantiores viros necant. Ergo et detractores, qui sua detractioe plures vel sanctiores infamant. Audivimus supra Mariam factam leprosam, adeo ut appareret candens velut nix, quod detraxisset Moysi, totius populi ductori. Contingit interdum, ut nix in vertice montis commota evolvatur in tantum globum, ut pagos et oppida intagra mole sua obruat. Sic parum nivis commovit avicula in Destinatorum montium vertice, quæ sensim deorsum descendens et in pilæ formam se revolvens semper aucta in tantam crevit amplitudinem, rotata usque ad imum montis, ut sua mole oppida destruxerit maxima, teste Olao M. l. II. c. XIII. Sic nimirum unica detractio, quæ irrogatur personæ publicæ vel religiosæ, a cujus imperio, doctrina, exemplo alii dependent, ingentem stragem edit. Quis nescit acriter castigari, et abominationi esse eos, qui publicos fontes aut puteos corrumpunt aut inficiunt? Hoc agit, qui talibus personis, qui sunt fontes, unde plebs bibit, detrahit, unde Prov. XXV. dicitur: *Fons turbatus pede, et vena corrupta, justus cadens coram impio.* Certe David cum Sauli regi partem chlamydis abscidisset, mox percussisse eum pectus suum, quia christum Domini violasset, 1. Reg. XXIV. Unde c. XXVI. quando rursus habebat occasionem necandi Saulem, ait ad Abisai: *Ne interficias eum; quis enim extendat manum suam in christum Domini et innocens erit?* Chlamydem regis truncat, qui religiosum vel alium in dignitate constitutum detractioe dente mordet. Naturali quodam odio abhorremus a serpentibus, quia clam inadvertenter adrependo mordent, et levissimo vulnere quasi acu facto necant hominem, non ut eum comedant, et ingluviem satient, ut leones, sed ex naturali quodam odio. Atqui si mordeat serpens in silentio nihil eo minus habet, qui occulte detrahit, inquit Ecclesiast. c. X. In Perua et Mexicana regione testatur Pineda, in cap. X. Ecclesiast. se vidisse) sunt serpentes, qui in capite fuerunt naturam quoddam cartilagineum crepitaculum cujus tinnitus etiam procul distantes admoneat adventantis mali et cavere jubeat. Si vel hoc facerent detractores, essent utcumque tolerabiles, si in faciem quem reprehenderent,

vel accusarent. At in silentio mordent, cum non sentitur ictus.

III. De *judicio*, quia eripit detrahenti audient non invito vitam æternam, quandoque etiam temporalem, justo Dei judicio. Imprimis enim plurimi hoc peccatum non confitentur, quia non agnoscunt se deliquisse; sive quia verbo tantum læserint; sive quia vera dixerint; sive quia ipsi non detraxerint: sed detrahentes tantum audierint. Deinde, licet confiteantur vix unquam satisfaciunt restituendo famam. Hoc enim valde durum est et difficile: sicut aves facile avolant e caveis, sed non facile iterum capiuntur. Quid igitur superest illis nisi severum Dei judicium? Certe hoc minatur eis Deus, Psal. XLIX. dicens: *Sedens adversus fratrem tuum loquebaris, et adversus filium matris tuæ ponebas scandalum. Hæc fecisti et tacui: existimasti inique quod ero tui similis; arguam te et statuam contra faciem tuam, q. d. quia ego tacui ad tuas obtectiones, nec statim te corripui, putasti me etiam delectari tuis sermonibus, et libenter eos audisse? Minime gentium; quinimo suo tempore publice te confundam.* Sic confudit Noddonem cum socio detrahentem S. Arnulpho episcopo Metensi, inflammando eorum vestes, ut porcorum instar in volutabro se volvere, et flammam extinguere cogere, Sur. 16. aug. nimirum, quia detractores rimantur sordes tantum, quemadmodum et porci. S. Vincentius Ferrerius, ser. I. in dom. in albis scribit: « Nota quod erant duo, qui quemdam diffamaverant, et diffamatus et unus diffamans adhuc vivunt, et unus diffamator obiit et stetit per aliquod tempus in purgatorio. Et cum exivit, credidit statim ire ad paradysum. Et dixit Deus: Non intrabis, quia primo habes facere restitutionem famæ istius. Et ego scio illud esse verum, quod anima reddit, quia ego ipse fui per ipsum diffamatus, et a me veniam petiit. » Triennio postquam patres nostræ societatis ex monte Politiano, civium injuriis vexati discesserunt: « Quidam civium satis antea bene ab re domestica constitutus post ingentem calamitatum seriem eo demum adductus est, ut complures dies præter omnem vim naturæ trahens miseram animam, nullum inveniret sævissimæ mortis finem, quo malo ad animi sui curam per Dei bonitatem conversus intelligensque supplicium id divinitus sibi immissum acciri jubet multos e ciribus, inter hoc Bellarmini patrem aliosque. Quibus lecto circumfusis moribundus summo cum doloris sensu intermotus singultibus hæc palam profitetur: Ego miser ac perditus is fui, qui habitu hominis Jesuitæ ementito, ad infamiam patribus conflandam, ut cogere monte Politiano abire, quod pro dolor accidit; quasi unus ex iis furtim noc-

tu meretricis domum ingressus sum: unde iniqua in patres dissipata infamia est: et propter hoc immane facinus evidenter sentio Deum esse qui tanto in agone, uti videtis, detinet me, nec sinit mori. Jam igitur vobis coram omnibus aperio et confiteor indignissimum scelus meum, vos obtestor, at Deum pro me precemini, ut tantam injuriam mihi condonare velit, damnumque, ac detrimentum remittat, quod ego excessu illorum patrum universæ huic civitati peperit. Hæc rite contestatus, non multo post omnibus admirantibus, tamquam solutis, quæ ad id tenebant vinculis, e vita migravit, 15. cal. sept. anno Domini 1566. » Addit auctor historiæ P. Franc. Sacchinus, se rem totam testibus subscriptam vidisse, alios fere omnes, qui infamiæ patrum auctores fuerunt, misere periisse, posteaque civitatem enixe patres repetisse atque obtinuisse. Hæc Sacchinus, tom. II. annal. soc. an. 1563. n. XXV.

Ex his quæ diximus, possumus cognoscere magnos quidem jaculatores esse detractores, sed pestilentes et perniciosos, omni probro potius quam laude dignos: quibus non cælestis Jerosolyma speranda, sed gehenna metuenda sit. Quisquis ergo a Spiritu sancto non vult redargui de peccato, de justitia et judicio, detractioe telum in proximum non emittat.

CONCIO V.

QUAM DECEAT CHRISTIANOS VERITAS, DEDECEAT MENDACIUM.

I. Quia discipuli Christi sunt. — II. Quia habitaculum Spiritus sancti. — III. Quia liberi et ingenui. — IV. Quia fideles appellentur. — V. Quia mutua charitate devincti.

THEMA.

Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Joan. XVI.

Laudaturus aliquando sponsus Ecclesiæ, Christus, sponsæ suæ decorem, ab oculis ejus incipit et similes eos asserit oculis columbinis: *Quam pulchra es amica mea! Quam pulchra es! Oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet;* ad naturam columbæ utique et indolem potius respiciens, quam ad colorem oculorum. Columba enim animal est simplex, sincerum, candidum absque omni dolo, uti et absque felle. Tales ergo requirit sponsas Christus, quæ columbarum oculos habeant, tales et commendat: quo circa etiam talem nobis doctorem dedit, Spiritum sanctum qui in specie columbæ super ipso apparuit: quem in hodierno evangelio appellat *Spiritus veritatis*, qui nos docturus sit om-

nem veritatem, candorem et sinceritatem. Figuram hujus doctoris habemus in Jona, qui exponitur *columba filius: amathi*, quæ vox sonat *veritatem*. Jonas igitur seu *columba* prognatus est ab *amathi* seu *veritate*: et Spiritus s. procedit a Patre et Filio, qui est *veritas* Patris, Joan. XIV. et Joan. V. Quid si doctor noster est Spiritus veritatis, quid aliud consequitur quam ut nos Christiani simus studiosi et discipuli veritatis? Beati vos, auditores si tales fueritis: in amorem enim et amplexus vestros ruet, et in laudem vestram prorumpet cælestis vester sponsus, dicens: *Quam pulchra es amica mea! Quam pulchra es!* Quod ut assequamini, audite rationes, quæ ad veritatem loquendam, et mendacium fugiendum vehementer vos impellunt.

I. Quia discipuli Christi estis, qui est doctor veritatis, et ad docendum veritatem venit in hunc mundum. Ita enim Joan. VIII. ait Dominus: *Si vos manseritis in sermone meo, veri discipuli mei eritis, et cognoscetis veritatem.* En tibi lectionem et doctrinam quam magister noster tradidit nobis: *Veritatem.* De qua Pilato respondit: *Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum ut testimonium perhibeam veritati: omnis qui est ex veritate, audit vocem meam.* Atqui nos Christiani scholam hujus magistri a baptismo nostro omnes intravimus, adeoque veritatis studiosi sumus: pulcherrimi sane studii, pulcherrimæ lectionis, ita enim de ea S. August. ep. IX. ait. « Incomparabiliter pulchrior est veritas Christianorum, quam Helena Græcorum. Pro illa enim fortius martyres nostri contra hanc Sodomam, quam pro illa mille heroes adversus Trojam dimicaverunt. » Solent studiosi philosophiæ suorum magistrorum dogmata fortiter imbibere, et imbibita tueri contra adversarios: Platonicus Platonem, Aristotelici Aristotelem. Ita septem illi fratres Machabæi religionem magistri sui Eleazari, contra Antiochum strenue defenderunt et imitati sunt usque ad dirissima supplicia. Unde S. Gregor. Nazianz. orat. XXII. ita inducit loquentes: *Eleazari discipuli sumus: pater prius certavit, filii postea certabunt:* et S. Ambr. I. de Jacob, c. XI. *Sequimini patrem filii, doctorem discipuli.* Jam vero nos magistrum habemus, ipsam Dei sapientiam, ad hæc veritas Christianorum suo decore omnem humanam pulchritudinem superat; quis ergo non eam adamare, et defendere etiam usque ad sanguinem velit, si pro unius Helenæ fragili decore multi Græcorum principes præliari, et in prælio occumbere non dubitarunt? Talem heroem e v. t. adducit D. Ambrosius, in Psal. XVIII. l. XII. Isaiam prophetam, qui cum impiisimum regem Manassem Dei jussu acriter reprehendisset ideoque in carcerem missus esset, fertur ei in

carcere posito, ait Ambrosius, diabolus dixisse : « Dic quia non a Domino locutus es, quæ dixisti et omnium in te mentes affectusque mutabo, ut qui indignantur injuriam, absolutionem conferunt. Sed ille gratius judicavit pro veritate supplicium, quam pro adulatione beneficium. » Similem heroinam sub lege nova profert S. Hieronymus, ep. XLIX. de muliere Vercellensi septies icta nec tamen enecta, quæ ingentia tormenta passa est, nolens fateri crimen falso ei impositum, ne mendacio Deum offenderet; in clamabat enim sæpius dum torqueretur: *Testis es Domine Jesu, cui nihil occultum, non ideo negare velle, ne peream, sed ideo mentiri nolle ne peccem.* Itaque pro veritate tuenda pugnavit ad mortem usque, tametsi eam gladium incassum feriens occidere non potuit. Neque hoc ista sola, sed et alii antiqui Christiani mori malebant, quam mentiri. Imo Anthimus episcopus Nicomedien- sis quæsitus ab apparitoribus, cum seipsum ignotis eis prodidisset, et hospitium exhibuisset, illique viri sancti benevolentia capti dimittere eum vellent, dicturi magistratui se quæsitum Anthimum invenire non potuisse, respuit oblatam sibi libertatem, ne illi vel solis labris propter ipsum mentirentur, ut in ejus vita Metaphrastes, apud Sur. 27. april.

II. Quia habitaculum Spiritus s. de cælo ad vos missi, quando in Spiritu s. renati et baptizati estis, teste apost. 1. Cor. III. *Nescitis quia templum Dei estis, et spiritus Dei habitat in vobis: et c. IX. Ad nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus s. qui in vobis est.* Quid vero crebrius audimus, quam ipsum esse Spiritum veritatis, et docere omnem veritatem, ut in hod. evang. et alibi? Hostis igitur est mendacii et falsitatis et fugatur e domo cordis nostri, quando sprete veritate mendacium admittimus. Fumus expellit apes ex alveari, et hospites e domo: ita Spiritus s. *disciplinæ effugiet fictum*, inquit Sapiens, Sap. 1. Quis autem magis fictus, quam mendax? Certe quando abominatio desolationis stare cœpit in templo Jerosolymitano (quæ ex communiore sententia alia non fuit quam Zelotæ, ficti patriæ et religionis zelatores, revera autem prædones et vastatores, qui sub specie defensionis expilabant templum et cives) tunc in festo pentecostes audita est vox a sacerdotibus in templo clamans: *Migremus hinc*, teste Josepho, 1. VII. de bello, cap. XII. Cur in die pentecostes? Num quia Spiritus s. qui prius eo die descenderat in Jerosolymam, eodem ipsam deseruit, cum ficti zelatores patriæ templum occuparunt? Quomodo enim Spiritus veritatis stet cum spiritu mendacii et fictis hominibus? Quomodo arca ex simplici et uniformi ligno setim quod simillimum est spinæ albæ, stabit coram

Dagon, idolo seu ficto deo, semipisce et semi-homine? Certe etiam homines recti et sinceri aversantur et fugiunt fictos ac mendaces: quanto magis fugiet tales ipse Spiritus et fons omnis veritatis? Hinc apostolus ad Eph. IV. cum dixisset: *Omnis sermo malus (Græc. putris et corruptus; cujusmodi est mendacium, ut paulo ante præmiserat, quod nos Germani appellamus, pisces putridos) ex ore vestro non procedat, mox infert: Et nolite constritare Spiritum sanctum Dei in quo signati estis.* Tyranni aliqui fuerunt, qui corpora virorum putridis jam et fetentibus alligare cadaveribus consueverunt. Simile quid ausu temerario agunt, qui spiritum mendacii, putridum et mendacem inducunt in templum Spiritus veritatis. Quis a tanto scelere non abhorreat? Quis mendacium non oderit cane pejus et angue?

III. Quia nequaquam servi, sed liberi et ingenui, imo quidem reges estis et appellamini in ss. litteris, uti Apoc. 1. *Fecit nos regnum (hoc est reges) et sacerdotes, unde et Christiani, hoc est uncti dicimur.* Mentiri autem servile vitium est, et timore et necessitate, ad se quomodocumque tuendum excogitatum atque expressum ut indicatur Psalm. XVII. *Filii alieni mentiti sunt mihi*, quasi dicat: Spuri et abjecti. Hinc ingenui viri, principes præsertim, summo sibi dedecore ducunt mentiri vel semel. Quod etiam notavit Sapiens, Proverb. XXVI. vers. VII. iis verbis: *Non decet principem labium mentiens.* Quare Alphonsus rex Arrag. dicebat simplex verbum principum tantum valere ad fidem debere, quantum privatorum hominum jusjurandum, apud Panormit. l. 1. dict. et fact. ejus, n. LII. Scimus summum Hebræorum sacerdotem veritatem rationali suo inscriptam gestasse in vocabulis *urim et thummim*, hoc est, *doctrina et veritate*; quod videntur imitati esse summi Ægyptiorum iudices, qui in collo gerebant imaginem ex sapphiro, cui inscriptum erat nomen *veritas*, uti refert Ælianus, lib. XIV. cap. XXIV. qui addit optandum, ut non tam in lapide, quam in mente insculpta geratur veritas. Quæ si Christianis ita infixæ esset, dubio procul a turpissimo hoc vitio maxime abhorrerent. Certe Ptolemæus rex Ægypti, cum quandam ex Septuaginta interpretibus, quos in Ægyptum e Judæa vocarat, interrogasset, qua ratione veritatem colere posset, hoc responsi tulit: « Si primum statueris magnum dedecus esse omnibus hominibus mentiri: multo vero magis regibus, qui cum habeant potestatem agendi quæ velint, cur mentiantur non habent. Deinde, si hoc etiam consideraveris, Deum esse veritatis amatorem. » Refert Aristæas, I. libro de Septuaginta interpret. Sane apostolus, I. Corinth. XV. ita nos hortatur: *Sicut*

portavimus imaginem terreni (Adami), portemus et imaginem celestis (Christi videlicet.) Hujus imaginem nomine quidem gerimus, dum a Christo dicimur Christiani: gerimus et externa unctionis cæremonia, velut quidam reges; sed requirit præterea apostolus ut in animo et moribus Christi imaginem præferamus. Verum audiamus quid scribat D. Thomas, in opuscul. de princip. erudit. « Qui loquitur mendacium, inquit, diabolo figuram gerit et imaginem: hic enim mendax est ab initio. Aliquando auditurus est princeps mendax, qui denarius falsus est, verba illa: Cujus est imago hæc et superscriptio? Et cum responsum fuerit, diaboli, dicetur statim: Reddite ergo quæ sunt diaboli, diabolo. » Sic ille.

IV. Quia Christiani est et appellamini *fideles* qui fidem non Deo solum, sed etiam hominibus debeant præstare: adeoque viri simplices et sine omni dolo esse. Hujusmodi erat jam fidelis Christi futurus Nathanael, de quo Dominus, Joan. 1. dixit: *Ecce vere Israelita, in quo dolus non est.* Quæ verba expendens Sanctus, Augustinus, tractatu VII. in VII. Joan. scribit: « Dolus fraus est, simulatio est. Quando aliquis aliquid in corde tegit, et aliud loquitur, dolus est, et tamquam duo corda habet. Unum quasi sinum cordis habet, ubi videt veritatem: et alterum sinum ubi concipit mendacium. Et ut noveritis hunc esse dolus, dictum est in Psalmis: Labia dolosa. Quid est labia dolosa? Sequitur, in corde et corde locuta sunt mala. Quid est in corde et corde duplici corde? » Nec vocat mysterio, quod vir minime dolosus dicatur vere Israelita ab Israel: qui et Jacob, de quo scriptum legimus: *Jacob autem vir simplex*, Genes. XXV. versu XXXVII. Qui etiam ita abhorruit a mendacio, ut si fratris personam sibi affingeret, patris maledictionem incursum se metueret; ac licet tandem id fecerit, ex simplicitate tamen, ob matris imperium cui, ut videtur, invincibili ignorantia standum putabat, id egit, Genesis XXVII. Avus quoque ejus Abraham adeo veritatis amans, et mendacii hostis erat, ut quando conjugem suam metu insidiatorum appellavit sororem suam, ideoque de hoc quasi mendacii reus ab Abimelech argueretur, illico falsum hoc crimen a se depulerit, dicens: *Alias autem et vere soror mea est filia patris mei, non filia matris meæ, et duxi eam in uxorem*, Gen. Idem observarunt sancti alii, adhibendo amphibologica verba, justitiæ vel charitatis tuendæ causa, ne mendacium incurrorent; uti S. Athanasius, qui requisitus ab insidiatoribus utrum Athanasium vidisset, respondet eum non longe abesse, ut in brev. et vita; S. Felix presbyter Nolanus a satellitibus interrogatus, ubi esset Felix, hoc responsi dedit: *Nescio Felicem*, in vita, 14. januar. S. Franciscus

de Paula interpellatus a lictoribus, an reus fugitivus hac transisset, manum inserens in manicam: *Per hanc*, inquit, *non transivit*, in vita, 2. april. Sur. et Lipel. Ubi vero talis causa non erat, etiam hujusmodi æquivocatione pii semper abstinendum sibi sentiebant. Notus est et alibi relatus S. Anselmi episcopi candor, qui omnibus Christianis aliquid asserentibus liberalissime credebat, putans eos mentiri non posse. Cumque ob hanc nimiam confidentiam domestici imponerent, deque hoc ipse moneretur, nolebat credere, dicens: *Numquid non Christiani sunt? Quomodo ergo mentiri possunt?* in vita, 2. apr. Alii cum in re aliqua certi non essent, eam adhibebant cautelam, ut sub dubio rem assererent, quemadmodum solitus est S. Joannes, qui cap. IV. *Erat hora quasi sexta*, inquit; et cap. XIX. *Hora quasi sexta*. De qua consuetudine laudatur S. Dominicus loricatus a Petro Damiani, l. 1. epist. ep. XIX.

V. Quia mutua charitate velut fratres colligati estis. Ea vero unio sine veritate et veracitate conservari nequit, sed necessario dissolvi debet ut et humana conversatio ac commercia omnia. Si enim alter alterum sermone decipiat, quis fidem habeat etiam seria affirmanti? Et qua ratione homines se mutuo intelligunt? Eveniret certe hominibus, quod structoribus illis turris Babel, qui ubi linguarum confusione se non intellexerunt amplius, desinere a structura et dividi ab invicem necessario debuerunt, ob linguas divisas. Quid enim aliquid est alteri mentiri, nisi ignota lingua loqui? Imo vero longe pejus; quia peregrina lingua etsi non instruit, saltem non decipit, nec pervertit; mendacium vero seducit, et album pro nigro vendit. Scimus porro quam impense commendavit Christus suis fidelibus mutuam charitatem, adeo, ut ex hac dignosci eos vellet ab illis nationibus, voluitque ut unum omnes essemus, sicut ipse et Pater unum sunt, Joan. XVII. Idem inculcat apostolus ad Ephes. IV. asserens Christianos omnes unum quasi corpus esse; quod sane dissentientibus inter se membris nequaquam stare potest: *Propter quod*, inquit, *deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo; quoniam sumus invicem membra.* Unum membrum non seducit alterum: manus non ingerit ori lapidem pro saccharo, serpentem pro pisce: nec objicit pedi lapidem, ut in eum impingat et cadat; sed objectum potius removet, ne pes cadat; pedes non inducunt corpus in lutum et cloacem, quamdiu mundam habere possunt viam, sed ducunt ad commodiorem, etc. Quod nisi membra facerent, seipsa cum toto corpore perderent. Idem sub alio schemate nobis imprimat apostolus, dum passim in suis epistolis *filios lucis* nos appellat; uti

imprimis in eadem epist. ad Ephes. c. V. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, ut filii lucis ambulate. Fructus enim lucis est in omni bonitate et justitia, et veritate*: et 1. ad Thessalon. V. *Omnes vos filii lucis estis et filii diei, non sumus noctis neque tenebrarum. Quid vero luci et diei similis quam veritas? Quid tenebris et nocti quam mendacium? Jam si: Quis ambulaverit in die, ait Dominus, Joan. XI. non offendit, quia lucem hujus mundi videt: si autem ambulaverit in nocte, offendit, quia lux non est in eo. Idem prorsus evenit eis, qui dicuntur veritate, et qui mendaciis: hi enim offendunt, illi nequaquam. Qui noctu in tenebris ambulant, in alio impingunt, nemini honorem debitum deferre norunt, invenire domos nesciunt, in foveas incidunt, denique in perpetuo periculo perditionis sunt. Idipsum experimur, si alter alteri passim mentiri præsumeret. Quod igitur est sol in mundo, hoc est veritas in communitate. Quamobrem sapientissimus ille gentilius Moyses Pythagoras inter alia præcepta symbolica etiam hoc tradidit: *Contra solem non loquaris*, hoc est, contra veritatem, apud Erasm. chiliade 1. cent. 1. de symb. solem e mundo aufert qui aufert veritatem. Hinc etiam gentiles amare consuerunt veraces, tametsi ingrata loquentes: odisse e contra mendaces, licet blanda garrientes. Chosroas Persarum rex gentilis cum Apameam obsideret, interrogavit ejus urbis episcopum Thomam, an se videre in urbe cuperet. Cui episcopus: *Se nequaquam id desiderare; sed contrarium po-**

tius. Miratus est rex candorem ejus, et amore complexus est, Evagr. 1. IV. histor. eccles. Augustus etiam imper. cum Ægyptum sacerdotem Epaminondam, captum in triumphum duxisset, audissetque virum illum, veritatis amantissimum, nunquam alicujus mendacii fuisse deprehensum libertate eum donavit, et magnis decoravit muneribus. Contra Pamph. quemdam Romæ mortuum hominem, totum ex mendaciis compositum, qui nunquam vera dixisse perhibebatur, Claudius imp. jussit canibus et avibus objici insepultum, ædes quoque ejus dirui, bona fisco addici, uxorem et liberos procul deportari, Spartiano auct. Quid ergo putatis, a Deo expectent mendaces, si talem mercedem acceperunt ab hominibus, et quidem ethnicis? Audimus tremendam vocem Ps. VII. *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem, predes omnes, qui loquuntur mendacium*, q. d. cæteros quidem peccatores odit Deus, mendaces vero et perdet, quia nimirum et ipsi perdunt velut pestis remp. Audimus etiam Apocal. ult. tonantem in cælo vocem Christi: *Foris canes, et benefici, et impudici, et homicidæ, et idolis servientes, et omnis qui amat et facit mendacium*. E contra de veracibus audimus Psal. XIV. suaviter canentem: *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua. Hoc igitur agamus, si in Dei tabernaculo habitare desideramus.*

DOMINICA V. POST PASCHA.

EVANGELIUM. JOANN. XVI.

In illo tempore: dixit Jesus discipulis suis: Amen, amen dico vobis: Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Usque modo non petistis quidquam in nomine meo. Petite, et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum. Hæc in proverbii locutus sum vobis. Venit hora, cum jam non in proverbii loquar vobis, sed palam de Patre meo annuntiabo vobis. In illo die in nomine meo petetis. Et non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis. Ipse enim Pater amat vos; quia vos me amatis, et credidistis, quia a Deo exivi. Exivi a Patre, et veni in mundum: iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem. Dicunt ei discipuli ejus: Ecce nunc palam loqueris, et proverbium nullum dicis. Nunc scimus quia seisc omnia, et non opus est tibi, ut quis te interroget. In hoc credimus quia a Deo existi.

CONCIONES.

- I. Incitamenta ad orandum.
- II. Cur velit rogari Deus.
- III. De utilitate et fructibus orationis.
- IV. Causæ cur interdum non audiantur preces nostræ a Deo.
- V. Circumstantiæ orationis.
- VI. Pro quibus potissimum sit orandum.
- VII. Causæ et remedia distractionum in orando.
- VIII. Fructus incarnationis et passionis Christi.

IX. *Mysteria.*

CONCIONES AUCTARII.

- I. Ratio exorandi Deum.
- II. Quid sit in nomine Christo orare.
- III. Quo potissimum tempore sit orandum.
- IV. Orationis potentia.
- V. Vita Christi similes cursui solis.

CONCIO I.

INCITAMENTA AD ORANDUM.

- I. Dignitas et præstantia orationis. — II. Necessitas. — III. Facilitas et qui orare nescit consideret. — IV. Utilitas. — V. Exemplum sanctorum.

THEMA.

Petite et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.
Joann. XVI.

Solent hoc tempore, auditores, principes terræ ad bella procedere, ideoque nunc passim bellicæ tubæ personant, tympanaque perstreperunt, quibus conscribantur ad bellum et incitentur ad prælium milites. Nos ergo, qui non terrena regna, sed cælum expugnare quærimus, præfiosum istud tempus non decet otio perdere. Quare S. Ecclesia et ipsa his diebus prodit et campanis suis quasi bellicis tubis, solito magis perstreperit et vexilla crucis erigit, ut nos ad ea

convocet et ad pugnam spiritualem, quæ media oratione potissimum peragitur, excitet et armet: quo videlicet nos, dum alii pro terra pugnant, pro cælo dimicemus. Quare dum pugnat Josue, non desinat interim Moyses levare ad Deum manus (Exod. XVII.) cumque dies isti sint dies rogationum, videamus quæ ad hoc bellandi genus nos incitare debeant.

I. Dignitas et præstantia orationis. Nam primo, oratio Deum et totam cælestem curiam exhilarat et delectat. Hinc Apoc. V. orationes vocantur *odorama in phialis aureis*, quas coram Deo gestabant sancti in manibus. Et Apoc. VII. angelus accepit incensa de orationibus sanctorum, et obtulit coram Deo. Thymiana igitur suavissimum coram Deo sunt orationes; et sicut nares hominum recreantur odoram fragrantia, sic Deus et cælestis curia oratione sanctorum. Propterea etiam Deus in veteri lege præcepit sibi erigi altare thymiamatis, in quo